

cut tuis, 33, h. t., ergo etiam ignorantibus, et per triennium bona fide possidentibus beneficium, per simoniam alterius impetratum non prodest regula de triennali. Resp. Textum hunc posse intelligi de parvulis, qui vel de simonia parentum ab initio fuere conscii, vel etiam intra triennium resciverant, uti facile contingere potest, dicentibus, et lamentantibus subinde parentibus, quantum jam expenderint, vel expendere debeant pro filiis; vel dic, regulam de triennali esse conditam post illos canones, consequenter ei derogari in casu nostro, cum lex posterior derogat priori, arg. c. 1, de Constitut., in 6.

280. Qui contra simoniam ab alio pro obtinendo beneficio committendam protestatur, non amittit beneficium. — Resp. II. Si beneficium interveniente simonia ab alio commissa obtinetur, sciente illo, pro quo obtinetur, et ante collationem expresse contradicente, non vitatur sed valida est collatio beneficii, etsi alter contradicente ignorante in simonia pergat, eaque mediante beneficium revera obtineatur. Communis et certa textu expresse, cit. c. Sicut tuis, 33, h. t., ibi: « Quoniam ex eo, quod contra prohibitionem et voluntatem tuam (a qua postmodum minime recessisti) aliquis te penitus ignorante promisit pecuniam, et exolvit, nihil tibi debet ad penam, vel ad culpam imputari. »

281. Nisi aliter non ignaro prius contradicente in simonia pergat, et per eam beneficium obtineat. — Secus foret, et collatio invalida esset, si quis sciret, quod alter non obstante contradictione et protestatione sua nibilominus in simonia pergeret, eaque mediante beneficium obtineret, uti colligitur ex eodem c. Sicut tuis, 33, h. t., ubi tantum ille excusatur a poena nullitatis, qui post contradictionem ignorat, beneficium ab alio simoniace pro se obtineri; consequenter ille, qui scit, non excusatur, hoc ipso, quod sciat, beneficium simoniace esse obtentum, et tamen illud acceptat; cum sic acceptando videatur in re approbare simoniam, et consentire in illam. Lessius, cap. xxxv, dub. 25, n. 143.

282. Vel nisi tacite consentiat. — Multo magis invalida est provisio beneficii per simoniam alterius obtenta, sciente, et penitus non contradicente illo, pro quo obtinetur, arg. a Majori ad Minus, per vulgaria. Cujus ulterior ratio est, quia talis plene consentire videtur, uti bene advertit Glossa, in cit. c. Sicut tuis, 33, h. t., §. Præbere. Nam sæpe

qui tacet, consentire videtur, can. Si servus sciente, dist. 54, et l. Si, ut proposis, C. de Nupt., quod ipsum etiam satis clare innuitur, cit. c. Sicut tuis, 33, h. t., ibi: « Quia longe diversum est, non præbere consensum (expressum) et expresse contradicere. »

283. Poena simoniæ per tertium commissæ pro obtinendis ordinibus. — Resp. III. Si quis ignoranter per simoniam alterius ordinatur, de rigore juris, tenetur ab executione ordinis abstinere, postquam simoniacam ordinationem resciverit, arg. can. Præsentium, cau. 1, q. 4, et c. de Regularib., h. t., potest tamen cum tali episcopus dispensare, prout habetur, cit. can. Præsentium, cau. 1, q. 3, juncta Glossa, ibid., quia tales, etsi simoniace ordinati sint, ipsi tamen simoniaci non sunt, ut dicitur, cit. c. de Simonace, h. t.

284. Simonia confidentialis poenæ recensentur. — Quæritur VI. An, et quid speciale sit circa poenas simoniæ confidentialis? Resp. Simonia confidentialis (de qua supra, a num. 32) ipso jure, et facto sequentes specialiter secum trahit poenas.

I. Præter excommunicationem ipso facto incurramdam privat non tantum beneficio, circa quod simonia confidentialis commissa fuit, sed etiam aliis beneficiis et pensionibus rite obtentis.

II. Inhabilem reddit ad idem, et alia quæcunque beneficia obtinenda.

III. Facit quod beneficium per simoniam confidentialis nulliter acquisitum reservetur Summo Pontifici, ita ut nullus præter illum beneficium hujusmodi conferre valeat.

IV. Id etiam speciale habet, quod fructus ex tali beneficio male percepti applicari debeant cameræ Apostolicæ.

Et tandem V. Id specialiter operatur, quod præfata poenæ contrahantur non tantum per realem, sed etiam per conventionalem mixtam, uti patet ex Bulla Pii V, Intolerabilis, præsertim, § 3, ubi decernitur, poenas contra simoniam confidentialem statutas incurri, licet ipsum confidentialis crimen alterius tantum partis conscientia sit completa. Porro reliquæ enarratæ poenæ expresse habentur in Bulla Pii IV, Romanum, et Pii V, Intolerabilis, quam vide supra, n. 42.

285. Et declaratur una earum de privatione beneficii prius rite obtenti. — Notandum tamen cum Lessio, cap. xxxv, dub. 26, n. 147. Suarez, lib. IV, cap. XLIII, num. 13, et aliis, quod poena privationis aliorum beneficiorum prius rite obtentorum, ante sententiam j.

dicis declaratoriam non obliget, eo quod poena etiam ipso jure lata, ante sententiam judicis declaratoriam non obliget, si externam executionem requirit; prout amplius diximus, lib. I, tit. II, de Constitut., § 10, n. 227. Quæ ratio, cum non procedat in poena inhabilitatis ad alia quæcunque beneficia, non apparet, quare nonnulli dicant, etiam ad eam, ratione simoniæ confidentialis incurramdam requiri judicis sententiam. Contrarium siquidem clare patet ex generalibus fundamentis de lege poenali datis supra, lib. I, tit. II, num. 226.

§ XII.

DE RESTITUTIONE SIMONIACE ACCEPTORUM.

286. Nulla et obligatio restituendi simoniace accepta spiritualia. — Quæritur I. An, et qualis detur obligatio restituendi spiritualia simoniace accepta? Resp. I. Nulla datur obligatio restituendi simoniace accepta spiritualia, exceptis beneficiis ecclesiasticis. Suarez, lib. IV, cap. LIX. Bonacina, de Simonia, q. 7. Palao, de Simonia, pun. 26, n. 1. Lessius, cap. xxv, dub. 29, n. 66, cum communi aliorum. Ratio est, quia nullum nec divinum nec humanum reperitur jus, hujusmodi obligationem inducens; præsertim cum illam pro re temporali comparans, non contra justitiam, sed præcise contra religionem peccet.

287. Nec dicas: qui simoniace accipit temporale pro spirituali, debet illud restituere; ergo etiam qui accipit spirituale pro temporali, debet spirituale restituere. Resp. negando conseq. et paritatem; disparitas est, quod accipiens temporale pro spirituali faciat danti injuriam, utpote qui spirituale gratis dare debuisset juxta mandatum Christi, Matth., x: « Gratis accepistis, gratis date. » Nam sicut dispensator eleemosynam gratis dispensare jussus, pauperi facit injuriam, et ad restitutionem tenetur, si pro eleemosyna tradita a paupere exigit, vel vi contractus accipit pecuniam, ita ad restitutionem tenetur qui pro spiritualibus, quæ tanquam dispensator juxta præceptum Domini gratis distribuere debet, temporalia exigit. E contra vero qui spirituale accipit, tradenti facit injuriam, utpote qui illud alias gratis dare debuisset.

Dicitur autem notanter in conclusione exceptis beneficiis.

288. Exceptis beneficiis ecclesiasticis, quæ

una cum fructibus ante omnem judicis sententiam restitui debent. — Resp. II. Qui simoniace accipit beneficium aliquod ecclesiasticum qualecunque tandem, sub gravissimo peccato mortali tenetur ante omnem judicis sententiam illud una cum omnibus fructibus perceptis restituere, ac dimittere, etiamsi simonia sit occultissima, et quidem, si simonia est confidentialis, etiam pretio non soluto; si vero est communis simonia, tunc, quando utrinque saltem ex parte jam est completa, accipiendo spirituale, et tradendo temporale saltem secundum partem. Ita unanimes et certa, prout amplius patet, et ex jure clare probatum est, § præced.

289. Qui temporale accipit pro spirituali quocunque, tenetur illud restituere ante omnem judicis sententiam. — Quæritur II. An, et cui restitui debeant temporalia simoniace accepta pro spirituali? Resp. I. Qui accipit temporale sub conditione dandi, vel præstandi spirituale, et conditionem non implevit, tenetur jure divino, et naturali ex justitia restituere acceptum. Unanimes et certa. Ratio patet ex dictis, num. 287. Si enim restituere tenetur ille, qui pactum servando dedit spirituale pro temporali; multo magis tenebitur, qui temporale sub conditione dandi spirituale accepit, et hoc non dedit, eo quod tunc prorsus nullus nec apparens adsit titulus retinendi; e contra vero vigeat titulus restituendi ob conditionem non impletam.

290. Qui temporale accipit pro beneficio ecclesiastico, tenetur temporale restituere. — Resp. II. Qui simoniace accipit temporale pro, vel propter beneficium aliquod ecclesiasticum, quodcunque tandem, puta, quia ad illud aliquem elegit, vel postulavit, vel præsentavit, vel commendavit, vel idem alicui contulit, vel resignavit, tenetur sub peccato mortali (si temporale est materia gravis) et ante omnem judicis sententiam restituere. Certa et communis omnium, signanter divi Thomæ, 2, 2, q. 100, art. 6, in corp. Palao, loc. cit., n. 4. Suarez, lib. IV, cap. LX, n. 3. Lessius, lib. II, cap. xxxv, dub. 30, n. 16. Bonacina, de Simonia, q. 7, pun. 3, difficult. 1, n. 7. Sylvester, §. Simonia, q. 20, arg. c. De hoc, 11, h. t., §. 5: « Reges et principes ejus debet inducere, ut si quæ receperint, a præfato episcopo, ut ejus electioni præstarent, assensum ecclesiæ Oxoniensi sine diminutione resituant, cum ea sine gravi salutis periculo retinere non possint. » Ex quo doctores recte inferunt,

simoniace accepta temporalia pro spiritualibus, sub gravi culpa ante omnem iudicis sententiam restitui debere, hoc ipso, quod sine salutis periculo retineri non valeant.

291. *Et quidem de jure divino.* — Et quidem hæc restituendi obligatio non tantum juris humani ecclesiastici, sed etiam divini est, casu quo accipiens temporale pro spirituali non se privat bono aliquo temporali fortunæ, aut honoris, sed absque omni sui præjudicio et damno temporali simpliciter dat, vel procurat spirituale, conferendo v. g. beneficium, aut postulando ad illud, vel eligendo, vel præsentando, vel commendando, etc., prout communiter tenent doctores. Ratio est, quia cum talis non sit Dominus, sed dispensator tantum hujusmodi rei spiritualis, jussus a Domino Deo, ut gratis distribuat, Matth., x. domino, et illi a quo pro re spirituali temporale exigit, facit injuriam, peccatque contra justitiam consequenter ex jure divino ad restitutionem tenetur, si aliquid exigit, prout a simili demonstravimus supra n. 287, in dispensatore eleemosynæ.

292. *Solvitur objectio.* — Nec excusatur ab hoc injustitiæ peccato, si dicat, se temporale non exigere pro spirituali, sed pro emolumento temporali, quod ex beneficio altero provenit, et quia hoc illi præ aliis conferat, vel contulerit, ad quod non tenebatur. Nam contra militat tum ea, quæ supra jam dicta sunt, a n. 135. Tum decretum Alexandri VII hoc effugium damnantis in sequenti propositione. Non obstat contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia pecunia interveniente non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

293. *Qui pro resignatione beneficii accipit temporale, secundum aliquos tenetur solo jure humano, illud restituere.* — Casu tamen, quo dans beneficium privat se commodo, et honore temporali (prout fit in resignatione beneficii, utpote per quam resignans ultro se privat temporali honore, fructibusque temporalibus, quos ex beneficio ipse prius recepit) putant aliqui, obligationem restituendi simoniace accepta temporalia, non oriri ex jure divino, sed ecclesiastico duntaxat; eo, quod (aiunt) talis licet secundum omnes committat simoniam juris divini per dicta supra n. 24, tamen non peccet contra justitiam, cum resignando beneficium, se

ipsum privet commodo etiam temporali, et pro illo temporali iterum exigit. Verum quidquid sit de hoc, simoniacos nil juvat; cum juxta unanimes per dicta supra n. 290, etiam talis, sicut omnes alii propter beneficium simoniace accipientes temporalia, sub gravi culpa ante omnem iudicis sententiam teneantur ad restitutionem, sive dein hæc obligatio ex jure divino, sive humano procedat.

294. *Doctrina practica de restitutione simoniace acceptorum.* — Videant igitur, suamque examinent conscientiam illi, qui beneficium aliquod contulerunt, vel resignarunt, vel ad illud præsentarunt, elegerunt, aut postularunt, commendarunt, etc. an propterea simoniace exegerint, vel receperint temporalia; et, si quis reum se invenit, illico restitutionem facere non omittat: secus enim in continuo statu disgratiæ, et æternæ damnationis periculo versabitur, nisi aliquem ex infra a n. 324, ponendis titulum a restitutione excusantem habeat, qualis certe non est risus et contemptus hujus tam certæ doctrinæ, nec crassa, vel affectata ignorantia illius, minus vero stulta pertinacia, qua nonnulli vermem conscientiæ sopire cupientes, vel nolentes intelligere, ut bene agant, mentem et aures a rationibus, et fundamentis doctrinæ sibi contrariæ avertunt, ac simpliciter et sine ullo fundamento dicunt: « Non credo: non teneor credere. » Tales utinam non in æternum sentirent, quod modo credere nolunt. Certe his et similibus restitutionem simoniace acceptorum temporalium facere negligentibus, sequentia scribere non dubitavit Panormitanus, c. *De hoc*, h. t. n. 6. « Multi tales sunt hodie in orbe, de quorum salute diffidendum est, cum decedant in tali peccato; nam peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. »

295. *Qui temporale accepit ratione beneficii ecclesiastici, tenetur illud restituere ecclesiæ, vel pauperibus.* — Resp. Temporalia simoniace accepta intuitu beneficii ecclesiastici, de jure ecclesiastico restitui debent non ipsi danti, sed ecclesiæ, in quo beneficium est. Ita communis patetque clare ex cit. c. *De hoc*, 11, h. t. ubi expresse præcipitur, ut simoniace accepta hujusmodi restituantur Ecclesiæ Oxoniensi. Notant tamen doctores cum divo Thoma, 2, 2, q. 100, a. 6, ad testium, superioris arbitrio posse ea restitui pauperibus. Imo cum obligatio simoniace

accepta restituendi Ecclesiæ, et non alii, sit tantum lex humana, cui per consuetudinem derogatur c. fin. *de Consuetud.* omnino potest consuetudine introduci, et jam introductum esse, multi asserunt, quod restituantur pauperibus.

296. *Ante sententiam iudicis tamen potest, imo tenetur restituere illi, a quo accepit.* — Porro plures, ut Palao, *de Simonia*, pun. 26, n. 5; Lessius, cap. xxxv, dub. 31, n. 171, et alii probabile censent, temporalia intuitu beneficii simoniace accepta, ante iudicis sententiam restitui posse ipsi, qui prius dedit. Imo ante iudicis sententiam necessario esse huic restituendum, absolute docent Sotas, lib. IX, q. 8, a. 1, *de Simonia*, et § ad sextum: Matth. de Moya, tract. VI, *Miscell.* disp. 4, q. 6, § 2, n. 13; Bannez, 2, 2, q. 32, art. 7, dub. 2, et alii, cum quibus et nos sentimus ob sequentem rationem; quia simoniace dans temporalia pro beneficio non transfert, sed in effectu revera adhuc retinet dominium illorum temporalium; cum enim illud in nullum alium, quam in illum, qui directe, vel indirecte dedit beneficium, transferre intendat, hic autem illius recipiendi sit incapax, manifestum est, quod apud dantem remaneat, consequenter ante iudicis sententiam eidem tanquam vero domino restitui debeat.

297. Si dicas, quod simoniace dantem temporalia, Ecclesia in pœnam delicti privet dominio prælatorum temporalium, et velit, ut Ecclesiæ restituatur cit. c. *De hoc*, 11, h. t. Resp. Ex hoc tantum sequi, quod post sententiam iudicis non ipsi danti, sed Ecclesiæ vel aliis juxta tenorem sententiæ restitui debeant; non vero ante sententiam; cum nulla lex pœnalis jure suo jam quæsito privans, vel externam executionem exigens, obliget ante sententiam iudicis, prout amplius diximus lib. I, tit. II, *de Constit.* a n. 227.

298. *Simoniace accepta temporalia pro ingressu in religionem possunt manere penes monasterium.* — Quæritur III. An, et qualis sit obligatio restituendi simoniace accepta temporalia pro ingressu in religionem, collatione ordinum, aliorumque sacramentorum et sacramentalium, vel aliarum quarumcumque rerum spiritualium administratione? Resp. I. Nulla est obligatio ante iudicis sententiam restituendi simoniace accepta in ingressu religionis pro honesta sustentatione, Pirhing, h. t. n. 183; Palao, *de Si-*

monia, pun. 26; Lessius, cap. xxxv, dub. 30, et alii, arg. Extravag. *Sane*, h. t. ubi Papa concedit, quod simoniace accepta in ingressu religionis possint retineri; dummodo non in privatum abbatis, vel abbatissæ, vel alterius, sed in communem usum convertantur. Ratio est, quia licet regulares monasterii opulenti peccatum simoniæ committant, etiamsi pro honesta sustentatione quid exigant ab ingredientibus per dicta supra § 11, tamen quia Papa concedit, quod hujusmodi simoniace recepta, communi monasterii usui tanquam piæ causæ remanere, et applicari valeant, favore hoc utique frui poterit monasterium juxta tenorem textus in Extravag. *Sane*, h. t. sic habentis: « Insuper erga personas illas, quæ in præmissis recipiendo aliqua contra canonicas sanctiones peccare noscuntur, volentes nos redere gratiosos, omnia recepta hujusmodi, si ad communem usum monasteriorum, seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum concedimus retineri: si vero ad specialem usum abbatis, vel abbatissæ, prioris, aut priorissæ, aut alterius singularis personæ retineantur, illa venire præcipimus in communi. »

299. *Simoniace accepta pro administratione sacramentorum, et sacramentalium restitui debent ante omnem iudicis sententiam.* — Resp. II. Qui temporalia simoniace accepit pro collatione ordinis, aliorumve sacramentorum, vel sacramentalium, aut rerum quarumcumque tandem spiritualium, quæ conferentur sine damno aut incommodo temporalis conferentis; cujusmodi sunt dispensationes, absolutiones, indulgentiæ, etc. Jure divino, consequenter ante omnem iudicis sententiam restitui debent, Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. lxx, n. 11; Lessius, lib. II, cap. xxxv, dub. 28, n. 162; Layman, *de Simonia*, § 9, n. 79; Pirhing, h. t. n. 175. Ratio est, quia cum ex mandato Domini Dei, Matth. x. hæc et similia spiritualia gratis conferre debeant dispensatores (cujusmodi et non dominus respectu spiritualium est quivis conferens illa) injuste agit, et injuriam facit alteri, qui ab illo pro tali re spirituali gratis exhibenda, pretium exigit, prout supra n. 291, jam dictum et n. 287, a simili demonstratum est in eleemosynæ dispensatore contra voluntatem Domini pretium aliquod exigente, cui eleemosynam dispensat.

300. *Etiam propter simoniam mentalem.* —

Et quidem conclusio etiam procedit in simonia mentali; quia, cum juxta dicta n. præced. obligatio restituendi simoniace accepta procedat ex jure divino, non declinat illam qui quantumvis, occulte, simoniace, et injuste accipiendo, injuriam facit tertio. Confirmatur a pari de usura mentali, utpote quæ de jure naturæ, et in conscientia ante omnem judicis sententiam æque obligat ad restitutionem, ac manifesta, textu claro, c. *Consulat*, 9, de *Usuris*.

301. *Solvitur objectio.* — Dices, c. *Tua nos*, 34, et c. fin. h. t. expresse habetur, ob simoniam absque pacto externo commissam nullum subjacere juris pœnis, quod etiam nos diximus supra n. 234, ergo nec oneri restituendi. Resp. negando conseq. quia onus restituendi simoniace accepta temporalia non est pœna juris, sed obligatio et justitia e jure divino procedens, ob injuriam illatam tertio. Quæ obligatio etiam occultissima delicta afficit, hoc ipso, quod juris divini conditor, scrutator sit cordium, et cognitor secretorum, cit. c. *Tua nos*, h. t.

302. *Accipiens temporale pro temporalibus annexis spirituali non tenetur ad restitutionem.* — Dicitur autem notanter in conclusione: « Quæ conferantur sine damno, aut incommodo temporali conferentis; » quia in casu, quo conferens sacramentalia, subit damnum temporale, privando se commo aliquo temporali, prout fit in rebus spirituali annexis, ut dum v. g. vendit sacrum calicem, oleum, etc., non tenetur ad restitutionem, si plus non exigit, quam res illa spirituali annexa valet, aut incommodum temporale, quod subit, efficit: imo in hoc nullam committit simoniam, per dicta supra n. 221.

§ XIII.

DE CAUSIS, ET TITULIS EXCUSANTIBUS A SIMONIA, VEL PœNIS, AC RESTITUTIONE SIMONIACE ACCEPTORUM.

303. *Tituli excusantes a simonia recensentur.* — Quæritur I. Quæ causæ, vel tituli excusent a simonia? Resp. Sequentes potissimum I. Si temporale pro spirituali aut e contra omnino gratis sine ullo explicito et implicito pacto datur, juxta dicta § 5, supra. II. Si post acceptum spirituale datur temporale, aut e contra, ex gratitudine ad satisfaciendum obligationi antidotali, per

dicta supra n. 117. III. Si ministris Ecclesiæ temporale per modum stipendii ad honestam sustentationem pro administratione sacramentorum, pro Missis, et aliis functionibus spiritualibus, per dicta supra a n. 186. IV. Excusat ignorantia invincibilis juxta dicenda n. seq. V. Labor extrinsecus, per dicenda infra n. 305. VI. Redemptio vexationis injustæ, juxta dicenda a n. 308.

304. *Ignorantia invincibilis etiam excusat a simonia.* — Quæritur II. An, et qualis ignorantia excuset a peccato simoniæ? Resp. Ignorantia, quæ non est crassa vel supina, sed invincibilis excusat a peccato simoniæ. Communis et certa. Ratio est, quia ignorantia a quovis alio, ergo etiam a simonia peccato excusat. Quod autem a quovis alio peccato excuset, late probant theologi præcipue ex illo fundamento, quod ad peccatum requiratur consensus, ignorantis autem nullus est consensus, l. *Si per errorem*, 15, ff. de *Jurisdict. omnium judic.*

Dicitur autem notanter, invincibilis, quia vincibilis, crassa nempe supina, vel affectata ignorantia, uti a nullo alio, ita nec a peccato simoniæ excusat. Num autem quis revera habeat ignorantiam invincibilem, cujusvis conscientia relinquitur. Illi, quod sibi timeant, certe habent, qui de simonia nec audire, nec legere aliquid volunt nolentes intelligere, ut bene agant; vel qui legunt quidem, aut ab intelligentibus rem audiunt, tamen statim excutiunt, aut parum curando rident, et contemnunt; relegere etiam dicta ad propositum n. 294.

305. *Sicut et labor extrinsecus, non item intrinsecus.* — Quæritur III. An, et qualis labor excuset a simonia? Resp. Propter laborem functioni aut ministerio spirituali extrinsecum, et per accidens conjunctum, non item propter intrinsecum absque simonia acceptari et exigi potest temporale pro spirituali, consequenter labor extrinsecus (aliunde non debitus) non item intrinsecus ab illa excusat, Palao, de *Simonia*, pun. 11, n. 3; Gutierrez, *Canon. quest.* cap. XXIX, n. 25; Lessius, lib. II, cap. XXXV, dub. 8, n. 45; Bonacina, de *Simonia*, disp. 1, q. 6, pun. 3, n. 2, cum Glossa communiter accepta in c. *Significatum*, de *Præbendis*. Pro intelligentia conclusionis notandum, cum communi doctorum illorum laborem esse, et dici extrinsecum functioni alicui spirituali, eique per accidens conjunctum, sine quo ministerium, seu functio hujusmodi spiri-

tualis in se bene fieri potest: sic v. g. celebrationi Missæ labor extrinsecus et per accidens conjunctus est itineratio per unam vel alteram horam a loco distantem; e contra vero pronuntiatio verborum, motus membrorum, in celebratione Missæ facta necessarius, est labor Missæ intrinsecus, eo quod sine illo, non item sine isto Missa celebrari valeat. Ratio conclusionis est, quia hoc ipso, quod labor primi generis ab extrinsecis, et per accidens tantum sit conjunctus functioni spirituali, non perdit per hujusmodi conjunctionem, æstimationem, et valorem suum, quem ex se tanquam quid temporale habet; consequenter pro illo, seu propter illum rei spirituali annexum, temporale quid absque ulla simonia exigi poterit. E contra vero, quia labor intrinsecus ab ipsa actione sacra non distinguitur, sed cum ipsa unum opus efficit, totusque sacer est, exigi pro illo aliquid spirituale absque simonia non poterit; verificaturque de illo id, quod dicitur can. *Si quis objecerit*, 7, cau. 1, q. 3, ibi: « Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. »

306. *Pro Missa et aliis ob laborem extrinsecum plus exigitur.* — Infertur cum communi doctorum a simonia excusari illos, qui plus, quam in tali loco dari solet, pro Missa exigunt ex eo, quod sua cum incommoditate debeant eam celebrare certo tempore, vel in loco distante, vel (uti Bonacina vult, et consuetudo approbat) alta voce. Idem est de aliis functionibus spiritualibus, si tali aut simili cum labore extrinsecis, incommoditate, lucro cessante, aut damno emergente fieri debent; dummodo, plus non exigatur, quam talis labor, incommoditas, aut damnum extrinsecum a parte rei juxta prudentem æstimationem valet; secus enim haud dubie simonia committeretur, cum excessus ille jam non pro temporali, sed pro spirituali exigeretur; uti bene advertunt cum communi aliorum citati doctores.

307. *Nisi talis labor aliunde iam debeatur.* — Dicitur autem notanter in conclusione labor extrinsecus aliunde non debitus. Nam si quis ad extrinsecum talem laborem, vel incommoditatem aliunde, v. g. ex officio, fundatione, contractu, etc., tenetur, ac pro tali labore, etc., spiritualibus conjuncto competens salarium, aut stipendium habet, pro illo nequaquam aliquid ulterius exigere valet absque peccato simoniæ; quia cum in

hujusmodi casu, talis careret omni justo titulo aliquid exigendi, pro ipsa re spirituali temporale exigere censeretur, prout bene advertunt doctores. Hinc parochus, vel capellanus vel nil, vel non plus, quam pia et laudabilis consuetudo habet, exigere potest pro itinere, et incommoditate, quam habet portando sanctissimum ad infirmum parochianum una vel duabus horis distantem; quia ad id ex officio tenetur, ob quod suos redditus et stipendium jam habet.

308. *Vexatio potest esse varia.* — Quæritur IV. An, et quando a simonia excuset redemptio vexationis? Ante responsum notandum, vexationem, aliam esse justam, et aliam esse injustam; item aliam esse, quæ fit ab illo, qui solum obesse, non vero de jure prodesse potest; rursus aliam esse, qua quis vexatur in jure ad rem uti est v. g. electus sed nondum confirmatus, præsentatus, sed collationem nondum consecutus, vel hanc siquidem sed investituram nondum habens; et aliam, qua quis vexatur in jure quod habet in re. Hoc notato.

309. *Non est simonia alicui cuicumque dare temporale, ne injuste te vexet in spirituali jam acquisito.* — Resp. I. Non est simonia, pretium temporale dare ad redimendam injustam vexam, quam quis patitur in jure spirituali jam plene quæsito, et quod habet in re, a quocunque tandem vexatio hæc proveniat. Navarrus, *Manual.* cap. XXIII, numer. 102; Abbas, in c. *Dilectus*, 28, h. t. num. 3; Palao, de *Simonia*, pun. 20, num. 1; D. Thomas, 2, 2, q. 100, art. 2 ad 5; Pirhing, h. t., num. 105, cum communi aliorum, arg. can. *Quæsitum*, 4, cau. 1, q. 3, et c. *Dilectus*, 28, h. t. ubi simoniæ non arguuntur, qui ad redimendam injustam vexam, quam passi erant in jure jam quæsito, temporalia dederunt. Ratio est, quia qui dat temporale ad redimendam injustam vexam, in jure spirituali, quod plene jam habet non dat illud pro jure spirituali, utpote quod jam habere supponitur, sed pro tollenda, vel impedienda injusta molestia et injuria, quod est quid temporale.

Infertur, illum immunem esse a simonia, qui dat, vel præstat temporale alicui, ne injuste vexet ipsum diffamando, accusando, et talia proponendo, ob quæ collatio beneficii, quod actu licite et valide jam possidet, de jure haberetur, nulla, vel eo privari posset, etc.

310. *Vel etiam acquirendo, si injuste vexat,*